



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu

Lamparter, Heinrich

Jngolstadii, 1662

Epistola VIII. Ad Quendam Matronam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43978

loquio, & cōsortio æternū fruē-
mur. Precibus interea, mi Pater,
nos invicem juvemus. Ego meas,
si quid valent, Rev: Vestræ, ultro
offero, supplēxque rogo, ut suarū
vicissim me participem velit effi-
cere, ut salvi ambo, apta ad salutem
plurimorum Dei instrumenta effi-
ciamur. DEVS Rev: Vestram servet
incolumem. Amen. Salmantica,
21. Maij Anno 1598.

EPISTOLA VIII.

*AD QUANDAM MA-
TRONAM.*

DE AFFLICTIONIBUS ANI-
MI, ET SOLATIIS.

Gratia & amor æternus Dei
Domini nostri semper cordi
tuo inhæreat. Litteræ, quas Domi-
natio tua ad me dedit, in duas dis-
tinctæ sunt partes, quarum prior
afflictiones animi, altera memorat
solatia, quibus abundat; quam vis
& illas

& illas potuisset his accensere, si
Apostolicum Pauli spiritum imbi-
bisset, quo dicit: *Absit mihi gloriari,*
nisi in cruce Domini nostri IESU
Christi, per quem mihi mundus cruci-
fixus est, & ego mundo. Diversis
cor meum æstuat desiderijs, si cru-
ciatus animi, quibus Dominatio
tua vexatur, perpendā, nec satis ea
inter se valeo conciliare; cuperem
enim, ne unquam internā cruce
destitueretur, cui affixa viveret, &
moreretur: atque illa quidem, quā
modò cruciatur, satisfacit huic
meo desiderio: optarem tamen
in super Dominationem tuam tan-
tum apud DEVM posse, ut absolvat
mutationem ejus, à quo cruciaris.
Cōciliet mea hæc vota ille, qui po-
test omnia, præsentique ærumnæ
graviores adjungat. Parum sanè
apud DEVM potes, si non utrum-
que ab illo obtineas. Instet ergo
Dominatio tua, gemat, clamet,
& illas
FF z oret,

oret, precibusque spontaneas corporis macerationes adjungat, ut illarum efficacia permotus DEVS, pijs annuat votis.

Dices, miraculo opus esse, ut hæc mea desideria inter se concilientur: sed respondeo, miraculum hoc posse peti à DEO, quia non est curiositatis, sed necessitatis miraculum; ut quos in terra DEVS conjunxit, in cœlo etiam conjungat, ubi nulla erit voluntatum, desideriorumque dissensio. Interim est, cur gaudium, & dolorem tibi cruciatus hi pariant, idque diversis ex causis. Gaudendum tibi est, quia tu illis affligeris; Dolendum, quia aliorum mala sunt, quæ te affligunt non levis enim dolor est, zelus divinæ gloriæ, & salutis animarum, qui cordis intima peredere solet, ac torquere. Quia verò proximorum salutem sacris cœcionibus promoveri non vales, crebrò pro illis

DEVM

DEVM precare, & sanguinis loco, quem Dilecti tui amore ardes profundere, coram illo coreffunde; obtestans, ut illud Filij sui honori totum impendat, eorumque mentes illustret, qui ipsum non noverunt, & propterea non reverentur & amant, sicut oportet.

Ad alterum jam epistolæ tuæ caput progredior. Utinam illa, quæ solatia, divinalque misericordias appellas, talia re vera sint. Tuis certe meritis ea nequaquam debentur, idque si minus agnoscas, non DEI favores, sed castigationes esse existima. Credo equidem solatia illa divinis favoribus annumerari posse, cum vilitatis tuæ optimè sis conscia, & agnoscas bona omnia, quæ habes, à DEI liberalitate gratuito tibi esse concessa; & hæc solatia eò solum tibi concedi, ut inde evadas DEO acceptior. Nolim tamen te multam angere ac perturbare,

bari, indagando utrum à divino spiritu, vel ab alio proficiscantur, Eò potius curam intende, ut sancta, ac ferventia, Dei voluntatem exactissimè adimplendi, desideria gratanter acceptes, & quidquid ei placitum esse cognoveris, opere exequaris. Nam si rerum tibi oblatarum species & imagines, è quibus oriuntur hæc tua desideria, promanant à DEO, implebuntur eodem iuvante; sin ab infero ludione procedunt, ipse caput suum franget cum illis; & cùm viderit, se ludificatione suâ boni operis ansam dedisse, deinceps non audebit se erigere, technâsque jam semel elusas denuo necere, Denique sui contemptor non potest facillè decipi; & qui DEVM sincerè diligit, mala omnia in bona convertit. Quòd si tibi subrepat aliqua mentis elatio; deprime illam timore, ne hæc solatia in temporaneum bonorum

bonorum operum præmium tibi
dentur, quo illos in terra remunera-
ri DEVS consuevit, quibus, ut-
pote in gratia sua non persevera-
turis, nulla in cœlo parata est mer-
ces. Sed cùm te deiciet peccato-
rum tuorum memoria, ab ejusmo-
di consideratione mentem avoca,
animùmque erige, confidens in
infinita DEI misericordia, qui fide-
lem sibi operam præstantibus non
sub finem vitæ solùm, sed etiam
quotidie interiorum stipendia nu-
merat consolationum. His instru-
ta solidis firmamentis, impensius
obsequijs DEI, te consecra: nam
cui plus datur, plus etiam require-
tur ab eo. Nolo quidquam, quod
statûs, conditionisq; tuæ est, omit-
tas; neque tamen etiam debitam
profectûs tui curam negliges. Si
homini mortali es desponsata, me-
mento alterum tibi sponsum im-
mortalem esse in cœlo; & quem-

admodum mariti, domusq; sedula
tibi incumbit cura, ita longè magis
te cœlesti Sponso obstrictam me-
mineris, ut tuæ conscientiæ, illius-
que obsequijs attentissimè invigi-
les. Atque hac ratione utriusque
debito satisfacies, uniusque perso-
lutio ad solutionem alterius pluri-
mum conducet; donec divinus
Sponsus, quando ipsi visum fuerit,
te in thalamum beatæ quietis in-
troducatur. De his, quæ porrò tibi
evenient, poteris me certiores
facere; nec tamen ad singula me
responsurum promitto; sed tan-
tùm, ubi expedire censuero, De
his ipsi autem poteris cum con-
scientiæ tuæ arbitro colloqui. De
præteritis non arbitror necessariū
conferre. **DEVS** Dominus noster
copiosis gratiæ donis te cumulet.

Tuis precibus me unicè com-
mendo. Salmanticæ, 14.

Junij Annoi 1598.

EPI-